



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Rex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A sive ad terram descendere: quin arbores eadem prostravit, in acie tela de manibus dimicantium detrahit, equites ab equo deripit, pedes correptos quoquo libuerit projicit, & quoties immerfus per aquas ingreditur, ea ipsa edita in sublime resat atque respirat. Proprio itaque & eleganti vocabulo Lucret. hac de causa Elephantos *Anguimanos* dixit, quod promuscidem ipsam instar Anguis quoquo verum flectat, reflectat, contrahat, porrigat, lubricet & incurvet. Sunt qui visos atate nostra affirmarint gladium longitudine duorum cubitum ad promuscidem alligatum gestantes, atrocissimas in bello caedes edidisse. Sanè quantum ad vires pertinet, nunquam se Cato apud Ciceronem ait, cum adolescens esset, vires Tauri aut Elephantum desiderasse: quod dubio procul indicat, interruta, Tauros & Elephantos viribus alia omnia antecedere.

REX. CAP. II.

A Dhæc, Ægyptii Regem hominem per Elephantum simulacrum intelligebant, non ea tantum de causa, quod cum gregatim semper ingrediantur, is qui maximus est natu gregem ducit, quod in regibus eligendis multarum nationum & gentium mos fuit, ut id muneris senioribus demandaretur: unde apud Hebræos *Seniores*, apud Athenienses *Palaologi*, apud Romanos *Senatores* rerum habena moderari soliti sunt: verum propterea quod habet hoc animi regii peculiare, ut genua non flectat acedè notabiliter ut animalia reliqua, calcaneum verò leviter incurvet. Nam genua non flectere, dubio procul ostendit supplicandum non esse, flectere verò calcaneum, humanitatem, qua maximè præditus est, indicat. Nam apud Philosophos morum institutores, a pes indicium est affectus illius qui humilioribus applicatur. Penes verò quem sit rerum potestas, decet quidem eum humanum esse, humanisq; rebus commoveri, genua verò flectere non oportere, manifestum est. Habitus & in ostentis Elephantus, regis sublimitatis signum, qui Aureliano, multò ante ejus imperium donatus est solusque tunc omnium privatus

C Elephantum dominus fuit, ut legere est apud Fl. Vopiscum. Nam & Scandrocotho Indo, homini humili genere nato, quem Alexander Magnus ob linguæ procacitatem interfici iusserat, pernici fuga elapso, cum mox latronibus contractis adversus Alexandri Præfectos bellum moliretur, Indiam ab eorum dominatione liberaturus, visendæ magnitudinis Elephantus ferus ultrò se obtulit, & velut domita mansuetudine eum in tergum sustulit: quod eum regem futurum portento fuit: nec fœdellit eventus. Siquidem oppressis Alexandri præfectis, Indiæ sibi regnum asseruit, eaque autoritate polluit, ut Seleucus Alexandri successor in Perside cum Indiam affectaret, regno illi relicto res cum eo componere factis habuerit. Præterea scriptores rerum assiduam cum

D Serpentibus certamen gerere tradunt Elephantos: Serpentes autè inter alia significata loco suo disposita terrarum orbem, provincias, & regiones pro vario picturæ gestu, significare ostendimus: eas verò qui domitari voluerit, viribus in primis esse præditum oportet, ab undare opibus, ut quæ bello necessaria sunt facile comparet, & cum ipsis provinciis arma semper exercere. Quapropter, ut mihi videtur, Natura ipsa rerum humanarum cognitionem hoc exemplo descripsit: quippe quæ Elephantum suis viribus optimè præmunierit, &

Pis humili-
tate indi-
um.

C Æ S A S.



C 2

quæ